

Vergilius et Seneca.

Imperfectos Aeneidis versus Varium sic ut essent reliquise, cum summatim emendata carmina ederet, Donatus testatur in vita Vergili (Suetoni reliq. p. 64 Reiffersch.), atque etiam si deficeret illius testimonium, crederemus tamen multos mox in supplendis eis enisos esse, quorum conamina Donatus eam ob causam parum valuisse ait quod paene omnia hemistichia absoluto perfectoque essent sensu. nam si fornici pulcre structo lapides singuli exciderunt, quid magis consentaneum est quam aggestis lateribus integrum operis speciem reparari? itaque complementa numerorum talia omnis fere aetas excogitasse videtur; alia Servius, alia vetustissimus aliqui codex, alia recentes libri et interpolati tradiderunt. unum vero antiquitate inter cetera excellens in doctorum hominum notitiam nondum perlatum opinor. Seneca Lucilio in epistula XV 2 (94) eam partem philosophiae quae praecpta det non esse ~~nutilem~~ exponit, etiam sine probationibus praecpta per se multum ponderis habere praesertim si carmini intexta sint et coartata in sententiam, § 28 *numquid inquit rationem exiges cum tibi quis hos dixerit versus?* ‘*Iniuriarum remedium est oblivio. Audentes fortuna iuvat. Piger ipse sibi obstat.*’ sic haec volgo edunt ut tria Senecam carmina proposuisse significant, quorum primum de mimo sumptum esse constat, secundum Vergili hemistichium Aen. X 284, tertium nemo scit in quo ille volumine legerit. at paulo ante philosophus Catonis dicta laudans et cum oraculo comparans satis habuit binas utriusque sententias subiecisse in exemplum. levissima sane haec est numeri differentia, gravius illud quod versus se dixit prompturum, non carmina aut voces, eoque exspectationem nobis movit alterius versus non minus pleni et ad legitimum metri terminum perducti quam Syri iste senarius est. iam ipsa quae secuntur verba inspice. non metro ac numeris ita conexa *iuvat*, *piger* vides, ita in unum omnia confluentia, hexametrum ut agnoscas male discissum in partes suas? non vim contrariam vox voci habet et audenti *piger*, fortunae ratio ac voluntas, adiumento obstaculum ita respondeat, una ut sententia appareat per duo membra explicata, unum et quod uno affectu animum nostrum moveat praecuptum? ideo autem hos Seneca versus memorat, quod cum affectus ipsos tangant

natura sua prosint audientibus. iste versus languorem animo ac timorem detrahit audaciae commoda simul et incommoda pigritiae adumbrans. quod si concesseris unum et continuum ab *audentis* ad *opstat* decurrere hexametrum, sequitur ut particulam utramque eodem loco invenisse Senecam statuas. atqui prior Vergili est: utrum igitur probabilius tibi videbitur, Rabirium vel nescio quem poetam Vergili sententiam in sua carmina transcripsisse verbisque auctam non disparibus iterasse, an in Vergilio qui aegre ferebant imperfectos versus et supplementis tollere studebant, eos hemistichio alteri alterum adposuisse variantes sententiam novoque distinguentes colore? ego Senecam in Vergilio suo eum versum totum legisse arbitror itaque exemplari usum esse diverso a nostris et interpolato. spurium enim esse hemistichium posterius neque a Mantuanico poeta scriptum testium locupletissimorum silentium clamat, argumentum clausulae ipsum non dissimulat. quamquam proxime a fuit dexter homo ab ingenio Vergili nimioque melius qui haec Turni orationi adiecit fiduciam instantis herois ac fervorem expressit, quam qui tali versum tibicine fulsit *viresque ministrat*, maxime illo quidem infirmo et labante. nimirum hic mille annis, paucis ille ab aetate musarum latinarum fertilissima distitit.

F. B.